Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26418
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Igitur cum talia audisset ille Porphirius magister mi-
litum cuius supra memoriam fecimus, qui quondam reginam
in carcere secutus fuerat ad uisitationem Christi martiris.
quia dominus illum in regno suo predestinatum habebat
compunctus corde et accensus igne diuino astitit an-
te cesarem. et confidenti animo dixit ei. Hactenus uestre
glorie supplicium militaui. non autem ortum est in meo
animo consilium ut iam non terreno mortalique militem
regi. sed inmortali et celesti domino ihesu christo cum aliis
quibusdam ducentis militibus. qui hanc miliciam consequi cupi-
unt. toto mentis amore. Audiens hec cesar perter-
ritus ualde et titubans ne aliqua commotio contra eum fie-
ret. tamen quia ille Porfirius inclitus erat nec illum perde-
re uolebat. conuocauit ad se ipsos milites. et cepit eis
suadere dicens. Quid mali passi estis. Quę dementia ut de-
spectionis inique. Redite preuaricatores ad cor.
resipiscite ab hac pessima intentione. consequimini
nostrę glorie et premii dignitatem. Quibus auditis inclytus
ille Porfirius. obiciens se conatui cesaris. taliter ei
intercidit sermonem. Indiscretissime quid de tua sapientia
peragis cum caput relinquis. et caudę niteris loqui. Ad me
tuus sermo dirigatur. ego pro his omnibus reddo uestrę
sapientię rationem. cui deo fauente se commendare
uoluerunt. Ad hec cesar stomachando proloquens sic.